

mat, aut accessione novi luminis transformet. De his autem externis, quæ hodie quædam sectæ pro ceremoniis ac ritibus Ecclesiarum suarum, aliæ pro sacramentis, aliæ pro utrisque, omnes autem pro fide præpostere habent, nihil aliud sentio, nisi quod sint politica potius, quam spiritualia societatum vincula, quæ ad animum non pertingunt. Et quamvis non negem quædam ex iis cum S. Scriptura magis esse consentanea quam alia, omnino tamen ita sum persuasus, quod nec optima, ipsa per se quæquam salvare, nec pessima condemnare queant. Nam etiamsi quis externa vincula, quæ sana ratio pro convenientissimis cum S. Scriptura iudicat, in societate hominum pietate præcellentium, nescio quam arcte & accurate observet; si aliàs non sit probus, nequaquam eum larva pietatis, quæ homines externa specie fallit, eo quod corda inspicere nequeunt, in oculis Dei exornabit: quemadmodum recto & sceleris puro non erit dedecori, si ipsum exemplo iusti Loti Sodomæ habitare contingat, atque id quod in aliis bono exemplo emendare non potest, cum dolore intueri, & interdum facere aliquid contra animi sententiam, ad evitandum id quod pejus est, quod sponte sua nunquam faceret. Quis enim in orbe pietate præstantior esse potest, quis vitæ æternæ propior, ac certior, iis, in quorum societate Dominus & consummator salutis humanæ corporaliter versabatur? Quis Judâ qui
Domi-